



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 31. in injustos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

# PHILIPPICA XXXI.

In Injustos.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

*Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Ioan. 16. v. 8.*

§. I.  
Cur Spiritus Sanctus arguat.



Ur consolator ille Spiritus, quem à Patre nobis Filius impetravit, cum suum in manus Patris Spiritum commendavit, ut ex manibus digitorum obtineret juxta ingeniosissimam Ruperti doctrinam lib. 2. de operibus Spiritus Sancti: *qui sic tradidit Spiritum suum, ecce omnibus filiis regenerationis acquisivit Paraclitum Spiritum Sanctum. alias nisi Spiritum suum hic homo tradidisset, Spiritus paraclitus non veniret;* cur inquam Spiritus Sanctus in Adventu suo ab arguendo & increpando faciat officij sui initium, causa mihi triplex occurrit: est Spiritus amoris, ergò ut arguat necesse est: *ego quos amo arguo* Apoc. 3. v. 19. amor libenter arguit ut dicim<sup>9</sup> pro verbo. Est Spiritus veritatis, ergò mendaci mundo veritatem exponere necesse habet, qui enim veritatem dissimulat, consentire videtur falsitati. est spiritus sanctitatis, ergò reprehendere debet iniquos, ille enim solus justè utiliterque arguit, qui ipse argui non potest. & nisi arguat ipse, argui ab alijs potest. S. Ludovicus Rex christianissimus, cum fundendis ad DEUM precibus intentus esset intervenit nescio quis aulicorum, qui capitalis criminis gratiam pro reo postulabat, annuit Rex, iniquum ratus, non exaudire supplicem, cum exaudiri ipse vellet à Deo. preces i-

gitur dum continuat, incidit in psalmum 105. v. 3. *beati qui custodiunt judicium & faciunt justitiam in omni tempore*, quibus se verbis perfringi sentiens, redire protinus advocatum jubet, & decretam revocat gratiam inquires: princeps qui potest punire crimen nec punit, non minus coram Deo reus est, quam si ipse perpetrasset: pietatis opus est non sævitia, facere justitiam. Arguet proinde mundum Sanctus Spiritus, quia sanctus & pius est, adde, quia consolator est prius punget, quam ungat, & aspera prius verba dabit quam lenia, prius emundabit redargutione pectora, quam pretiosa sua infundat charismata, *arguet mundum de peccato*, & quoniam illo? injustitia, ut ex sequentibus patet verbis: *de justitia & judicio.* de peccato quod mundus dissimulat, de justitia quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat, de judicio quod usurpat, dum tam de se quam de alijs temerè judicat, inquit D. Bernardus serm. 21. ex parvis. Permittamus itaq; à Spiritu Sancto mundū de justitia argui, ut emūdemur & justificemur in sermonibus, quos per os meum hodie locuturus est.

Tanta est justitiæ dignitas atque æstimatio, ut sinè ea virtus omninò nulla prætij ullius sit, justitiæ verò nomine omnis virtus sive tota virtutum, panoplia à Salvatore accipiatur: *nisi abundaverit justitia vestra* Matth. 5. v. 20. est enim.

§. 2.  
Sinè justitia virtus est nulla.

X 3

ju-

justitia omnium fons materque virtutum inquit S. Zeno serm. de justitia ita ut nullam virtutem habere censendus sit, qui justitia caret. quocirca eleganter perstringit S. Justinus M. in Apologia ad Antoninum pium Imperat. nonnullos principes ac judices, qui cum se dicant zelotas justitiae, sub praetextu justitiae contra justitiam & conscientiam delinquant, aliorum substantiam devorant, parcunt nemini, omnibus inferunt violentiam, quasi justitia esse possit, ubi philautia est. Elegantem combinationem inter verum & iniquum judicem, hoc est, inter ipsummet Iesum & Pilatum, expendit D. Ambrosius ad illa psaltis verba: *secundum judicium tuum vivifica me.* combinando verba psaltis cum verbis Christi: *non possum ego a me ipso facere quidquam* Joanni 5. v. 30. audite quid Iudex, dicat caelestis: *non possum a me, facere quidquam, sed sicut audio, iudico: & Pilatus dicebat ad Dominum Iesum: potestatem habeo dimittendi te & potestatem habeo, crucifigendi te. usurpas o homo, potestatem quam non habes, cum dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem. Audi quid justitia dicat: non possum, a me facere quidquam. audite quid Iudex aequitatis asserat: sicut audio ita & iudico. audite quid Iudex iniquitatis loquatur: potestatem habeo dimittendi te & potestatem habeo crucifigendi te. Tu autem, te Pilate voce constringis, tua dominaris sententia. Pro potestate igitur, non pro aequitate crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absolvisti latronem, autem, thorem vero vitae interfecisti: mala potestas posse quod non liceat, potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere. hucusque Ambrosius, verus Iudex non agno-*

S. Ambrosius serm. 20. in ps. 118.

scit potestatem in se, sed in lege, falsus potestatem statuit in sua nequitia & avaritia, quam pro regula sibi & beatitudinis suae scopo determinat.

Inter octo beatitudines quarto loco posita est fames sitisque justitiae post luctum & dolorem, ingenti prorsus mysterio ut observat S. Ambrosius lib. 6. in Luc. quia non est verus luctus poenitentiae, si non sequatur fames justitiae, nec potest sincerus appetitus justitiae inesse illis, quibus pura non est conscientia: *beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, infelices è contra & damnati, qui fastidiunt justitiam. divinitatis indicium est conjugere potentiae justitiam, unde Joannes describens Deum diadematis multis coronatum & exercitibus stipatum praecipuam hanc illi laudem dat: *cum justitia judicat & pugnat* Apoc. 19. v. 11. Non beatificat Deus actum justitiae sicuti in ceteris virtutibus fecit (non enim dixit: *beati qui desiderant paupertatem, mansuetudinem, luctum, sed qui lugent*) qui pauperes & mites actu sunt desiderium duntaxat justitiae commendat: *beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, quia tam difficile est perfectae justitiae exercitium ait Celada in c. 2. Judith. §. 18. ut clementissimus Salvator solo illius desiderio sit contentus. *perfectam justitiam in mundo habere non possumus* (inquit Doctor angelicus in c. 5. Matth.) *quia si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, sed hanc habemus in caelo, sed desiderium justitiae possumus hic habere.* sine omni peccato essemus, si perfecta in nobis justitia regnaret. Desideranda interim justitia est sicut panis & potus, quia ad vitam aeternam magis necessaria, quam ad sustentandam temporalem hanc vitam cibus requiritur. Qui esurit & sitit, sibi non al-

§. 3. Perfecta justitia non datur in hoc mundo, idcirco beati dicuntur qui desiderant justitiam.

t. Ioann. 4. v. 8.

alteri famet, qui iustitiæ desiderio ardet, eam in se rebúsque suis observet necesse est. & sicut esuries non solet esse speculativa, sed practica, ita desiderium iustitiæ practicum sit non imaginarium aut frivole conceptum, ut perveniat ad regnum.

§. 4.  
Iustitiæ regno dignum facit.

Tantæ laudes & benedictiones passim in scripturis iustitiæ attribuantur, ut sola hæc coronis & sceptris digna habeatur. Inter benedictiones morientis Jacobi potestas regia tribui Judæ defertur, etsi quarto genitus esset & primogenito potius hæc competeret majestas. cur Judas omnibus præferatur? propter iustitiam inquit Isidorus Pelusiota l. 2. ep. 48. quia cum adrogum damnasset nurum suam Thamarem, eò quòd vidua esset, & gravida, ubi tamen ex allatis muneribus intellexit quòd ejusdem ipsæ peccati sit complex; revocavit mox sententiam & exclamavit: *justior est quam ego* Gen. 38. v. 26. quæ iustitiæ professio sic Deo arrisit, ut regiam eidem addiderit potestatem: *non auferetur sceptrum de Juda.* ille nimirum dignus sceptro, qui plebit prius in se, quod arguere vult in alijs, nec erubescit revocare sententiã, cum suam agnoscit culpam. audiatur nunc Isidorus: *Judas qui quartus erat propter integrum iudicium & rectam sententiam, regiam dignitatem obtinuit, quoniam enim plerique delicta sua occultantes alios condemnant, hic autem seipsum condemnavit, eamque quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio & cruciatu liberavit, ob eam causam, haud injuriã regiam dignitatem est affectus.* hæc ille. simili ex causa confirmatus in throno Saul fuit, qui licet ob inobedientiam & affectatum sacrilegè sacrificandi officium regio privari sceptro meruerit, jamque latam in caput suum sententiam à

Samuele audierit. Reg. 13. v. 13. nihilominus capite sequenti v. 47. confirmatus in regno declaratur: *Saul confirmato regno super Israël pugnavat adversus inimicos suos.* nimirum actum iustitiæ interposuerat Saul, dum Jonatham unigenitum suum propter violatum jejuniij iurandum morti addixit, certissimæque dedisset neci nisi vox populi vox Dei intercessisset, idcirco confirmatur in regno, nobilitatur in folio, decoratur triumpho, is enim regnum promeretur, qui nec à se, nec à suis iustitiam excludit. aptissimè Dionysius Carthusianus: propter hoc quòd Saul proprio filio noluit parcere prælati & iudices instruatur sinè personarum acceptione iustitiam exercere, alioquin Spiritus Sanctus eos arguet de peccato, & immortalis regno proscribet.

Nec mirum excludi iniquos regno, cum nequitia eorundem excedat inferorum Spirituum malitiam. De Ecclesia sua dixit Christus: *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* Matth. 16. v. 18. quæ sunt illæ inferorum portæ? respondet Chrysostomus tom. 5. in Demonstratione: *portæ inferi pericula sunt, quæ mortem generant, pericula quæ ad infernum deducunt.* Origenes existimat hypocritas intelligi: *singule spirituales nequitie in cælestibus portæ sunt inferorum, quibus contrariantur portæ iustitiæ* tr. 1. in Matth. alij censent portas inferorum esse iniquos iudices & omnis iniquitatis viros, quia tribunalia olim in portis erant, & per portas significabantur. non dicit Christus: *dæmones non prævalebunt adversus eam; sed portæ seu iudices non prævalebunt, iudices enim maligni aliquid habent super inferorum rabiem, nil enim petulantius & licentiosius, quam unus iniquus iudex, ita ut*

§. 5.  
Iudex iniquus dæmone deterior.

ut etiam ex illo aliquid potentiae ac virium censeatur inferiorum furijs accrescere, inquit ingeniosissimus Sylveira tom. 4. lib. 6. c. 5. q. 13. num. 186. Magna inter daemones & iniquos iudices est similitudo, horum insuper non raro malitia gravior, daemones similes volunt esse altissimo, etiam iniusti, quod enim Deo convenit, sibi arrogant. daemones sunt potestates tenebrarum, etiam iniusti, oderunt enim lucem & quaerunt caliginem. daemones orbem perturbant, etiam iniqui iudices, quae singula elegantissime ps. 87. exprimuntur: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem Deos dijudicat*, en ut iudices judicentur, & quidem eo titulo, quod dij esse affectarint. & quid ad eos supremus iudex? gravi intonat voce: *usque quod iudicatis iniquitatem* & *facies peccatorum sumitis* v. 21. qui iudicat, iniquitatem iudex iniquitatis est, ait Hieronymus, & qui facies peccatorum sumit, diabolorum germanus est. Sunt proinde iniqui iudices gravissimo iudicio obnoxij, quibus supremus iudex toties frustra inclamat, quod v. 3. sequitur: *judicate pupillo* & *egeno, humilem ac pauperem justificare*. quod tamen cum surda excipiant aure & nihil minus praestent, quam quod Deus jubet, ecce insipientiae titulum iisdem affixum & interitum mundi imputatum: *nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, ideoque principes ac potestates tenebrarum merito audiunt, non caeci iudices, sed excaecati a malitia sua quae tanta est, ut denique orbem totum perturbet: *movebuntur omnia fundamenta terrae propter malos iudices* (verba S. Hieronymi) *terrae fundamenta quatiuntur*, quadrata enim rotundis miscentur.

S. 6. Tres injustissimi mortales Core, Dathan, Abiron, eo quod se judi-

ces populi constituissent, horribili puniuntur interitu, vivi enim absorbentur a terra, atque inaudita in eam horam poenam cum corpore & anima descendunt in infernum. Cum enim Moyses rebellionem audisset pronus cecidit & oravit, cui Dominus sententiam decretoriam evulgandam commisit: *si consuetudinem hominum morte interierint, non misit me Dominus: sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quae ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphema verint Dominum* Num. 16. v. 30. ita factum est, dehiscente enim repente terra, non modo tres nebulones, sed omnis una familia interiit. Justissime Deus! cur ita? quare gladio non intereunt sicut zambri & vituli adoratores? cur lapidibus non obruntur sicut Achan & violator Sabbathi? cur patibulo non appenduntur sicut Scortatores cum filiabus Madianiticis? cur ab igne non devorantur sicut filij Aaron? cur ab ignitis serpentibus non mordentur velut murmurones in deserto? respondet Isidorus: *ob temeritatis audaciam terrae compagibus ruptis vivi absorbentur, nec tantum duces sed omnes complices & fautores eterno igne preparata ultione peribunt*. nimirum ut Augustinus monet: *nocet semper iniquitas injuriam facienti*.

Ioannes Baptista maximus justitiae zelotes (pro qua sanguinem & vitam posuit, dum illicitos arguit thalamos: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*) vox clamantis appellatur, cum tamen non clamaret eo tempore verbum, quo Ioannes tonabat in sceleratos, & ingenti cum libertate Regum, Sacerdotum, Principum iniquitates reprehendebat. Quis ergo clamabat tacente verbo, cujus se vocem vocat Baptista?

S. 7.  
Justitia  
clamor  
validus.

sta? justitia clamabat, inquit Sylveira, quæ tacere nescit, quia ergo justitiam Ioannes zelabat, vox dicitur esse clamantis. Magnus enim verò justitia clamor est, ut patet in sanguine Abelis vindictam clamante, in sudore afflictissimi Israël sub jugo Pharaonis decumanas plagas exigente, in clamore Susannæ contra inveteratos malorum senes talionem postulante: *exclamavit voce magnâ Susanna: exclamaverunt autem & senes ad-versus eam* Daniel 13. v. 24. in quæ verba Hieronymus: *magna vox erat non clamore faucium, sed pudicitie magnitudine per quam clamabat (Susanna) ad Dominum: unde & Sancta Scriptura in exclamatione seniorum nō apposit ma-*

*gnam vocem.* Clamet injustus voce etiam leoninâ, non erit tamen vox magna & ullatenus comparabilis illi, quem in divinis auribus edit levissimus quisque gemitus ex corde injustè oppressi emissus. Timete peccatores injusti, quia vox vacua non revertetur, sed tonitrua & fulmina in caput vestrum denique accerset. *Magna vox justitiæ* exclamat D. Paschasi<sup>9</sup> *per quam mortui loquuntur, non solum loquuntur, verum etiam sicut Abel clamant.* ad quos ego clamores inhorresco, contemisco, obmutesco.

Paschasius lib. 4.

\* \* \*  
\* \* \*  
\* \* \*



# PHILIPPICA XXXII.

In oratores haud moratos.

DOMINICA V. POST PASCHA.

*Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan, 16. v. 23.

S. I.  
Vane cauteur non  
semper au  
diantur  
preces.



Udio insanum nè dicam blasphemum atque sacrilegum nonnullorum murmur, qui quòd postulata actutum non impetrant, pietati divinæ diffidunt, imò & veracitatem insimulare nefariè præsumunt, cum impudentissimo hæresiarcha, germaniæ nostræ probro & monstro sacrilego, cujus sinè lutulatione nomen per os meum proferri non potest, dicere auso in psal. 44. interpretatione: *neesse est Christum hic summè esse mendacem.* ò vox omnibus fulminibus digna! ò lingua cui excarnificandæ omnes tartari rotæ ac rogi non sufficiunt! ò blasphemia nec à Beelzebub, aut

si quis hoc nequior in orco dæmon est, audita! quid? veritas ut fallat, sapientia ut erret, Bonitas ut corrumpat, Christus ut mentiatur? nescio utrum Antichristo aut hujus parenti similis in mentem & buccam ventura sit insania. Irrefragabilis est incarnati Dei nostri promissio, dum ab homine supplice præscripta observetur conditio, multi multa sibi petere videntur & *nihil petunt*, quia salutis suæ noxium, gloriæ divinæ infestum, universitati humanæ probrosum, & nonnunquam adynaton petunt. nec petunt *Patrem* sed hostem, sed judicem, sed vindicem, sed imaginarium tyrannum, neque petunt *in nomine Salvatoris*, cum petant contra ratio-

Y

tio-